

900 sine me expurgem atque illum huc coram adducam. *SI.* adducas? *PA.* sine, pater.

*CH.* aequom postulat: da veniam. *PA.* sine te hoc exorem. *SI.* sino.

quidvis cupio dum ne ab hoc me falli comperiar, Chreme.

*CH.* pro peccato magno paullum supplicii satis est patri.

CRITO CHREMES SIMO PAMPHILVS iv

*CR.* Mitte orare. una harum quaevis causa me ut faciam monet,

905 vel tu vel quod verumst vel quod ipsi cupio Glycerio.

*CH.* Andrium ego Critonem video? certe is est. *CR.* salvo' sis, Chreme.

*CH.* quid tu Athenas insolens? *CR.* evenit. sed hicinest Simo?

*CH.* hic. *CR.* Simo . . . *SI.* men quaeris? eho tu, Glycerium hinc civem esse ais?

*CR.* tu negas? *SI.* itane huc paratus advenis? *CR.* quare? *SI.* rogas?

910 tune inpune haec facias? tune hic homines adolescentulos inperitos rerum, eductos libere, in fraudem inlicis? sollicitando et pollicitando eorum animos lactas? *CR.* sanun es?

*SI.* ac meretricios amores nuptiis conglutinas? 10

*PA.* perii, metuo ut substet hospes. *CH.* si, Simo, hunc noris satis,

915 non ita arbitrere: bonus est hic vir. *SI.* hic vir sit bonus?